

judiciis et in scholis " et prohibens ne " quis præsumat aliam facere absque auctoritate Sedis Apostolicæ speciali." Ex hac summi pontificis constitutione infertur hanc compilationem vim legis habere, et quidquid in eâ reperiri, jus definire, nisi subsequenti tempore ei derogatum fuerit; quod est probandum. B. Raymundus in quinque libros opus suum dividit, scilicet de personis quæ in Ecclesia aliquod munus exercent, de judiciis, de rebus, de matrimonio, de pœnis, quam divisionem explicat sequens versiculus:

Juder, judicium, clerus, sponsalia, crimen.

Singuli libri dividuntur in titulos, et tituli in capita.

c) *Sextus liber Decretalium Bonifacii VIII.* A Gregorio IX ad Bonifacium VIII, duo habita sunt concilia generalia, scilicet I Lugdunense, anno 1245, II Lugdunense, anno 1274, et novæ prodierunt constitutiones. Bonifacius VIII, ad exemplum Gregorii IX, curavit ut ex illis documentis nova fieret compilatio legum, quam auctoritate suâ probavit, et sic exiit *liber Sextus Decretalium*.

d) *Clementinæ*, a Clemente V redactæ, continent decretales post Sextum decretalium vulgatas et decreta concilii Viennensis, celebrati anno 1311; hic liber fuit approbatus a Joanne XXII, successore Clementis V.

e) *Extravagantes communes et extravagantes Joannis XXII*, sic appellatæ quia vagabantur extra collectiones ceterarum decretalium, studio privatorum collectæ sunt et nunquam auctoritate pontificia fuerunt munitæ; verum patet eas esse genuinas ex nomine pontificis unicuique inscripto et ex agnitione Romanorum Pontificum, qui eas authenticas semper habuerunt; unde non immerito *in corpore juris* includuntur.

20. Corpus Juris Canonici triplici volumine constare solet: primum volumen continet *Decretum Gratiani*, et ad ejus calcem adjici solent *canones pœnitentiales* et